



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Theresa V: 5. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

barunt, in quas se abjecit, & miratæ puritatem sunt undæ, quibus calorem improbum merfit. De animi ejus submissione quid dicam, & quo DEUM ardebat amore? Seraphinis à cælo sociatus, & in sede Angeli, quem superbia inde exturbârat, locandus, ultimum se mortaliū, sed inter sceleratos principem dixit. Mariæ addictum fuisse ille non dubitabit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Portiunculâ dixerunt) abstulit. Sed frustra sum. Herculem ego in hâc digitali tabellâ non pingo. Vin' compendium lector viri? Totum Christum in Francisco videbis, si vulnera ejus inspicias. *Ex D. Bonav.*

O quàm gloriosum & magnum, habere in cælis patrem! ô quàm sanctum, Paraclitum pulchrum & amabilem habere sponsum! ô quàm sanctum & quantum delectabile, bene placitum, humile, pacificum, dulce & amabile habere talem Fratrem, qui posuit animam suam pro orbibus suis? Ex Epist. S. Francisci.

S. THERESA V: 5. Octobris.

Quid, heu! quid cum prætextatis verbis tibi prætextata malè turba? disce, eia infantia rectè vel ab infante THERESA fari. *In æternum! in æternum! in æternum!* ah quoties balbutiens clamitavit! Nos scilicet puerilem senectam,
 non

624 VITÆ SANCTORUM. 5. *Ob.*
non senem aternitatem in animo & lin-
guâ gerimus, disertissimi infantes. At
THERESA parvula cum parvulo fratre
domo paternâ aufugit, ad Mauros abitu-
ra & brevi morte longam aternitatem
auspicatura. Vivere tamen Deus illam,
& ut viveret, quæ ferè mors est libero-
rum, mori matrem voluit. Illa Ma-
trem vicariam cælo *Mariam* advocavit,
nunquàm abhinc orba futura. *Maria*
porro filia suæ sponsum Filium concilia-
vit, quando ex sanctioribus amoribus
Seraphinus ales cor THERESA terebra-
vit. Ipse amor hominum Christus, quò
certius illam sauciaret, sua vulnera dile-
ctæ impressit, occulta tamen, ut ferè
solet amor. Adfuit deinde sæpè sponsa,
nunc cruce pro more chlamydatas, nunc
spineâ, quæ illum maximè decet, co-
rollâ ornatus, nunc qualis mortem
triumphavit, conspicuus. Arrhæ ab eo-
dem datæ gemmæ quaternæ & pendulæ
è Rosario Cruci additæ, Dos verò omne
cælum: cujus opes cum quandoque THERESA
Christus ostentasset, *Viden'* ajebat,
(tute tibi lector dictum puta) *quantis se*
bonis peccatores spolient? Sed & veste nup-
tiali cum Ordinem, quem Carmelitarum
dicimus, restauraret, Virgo MATR &
Virginis Sponsus Josephus cælo allatâ ex-
ornarunt, ut nihil jam ad nuptias deesset,
nisi quæ faciem præferret, anno M. D.
LXXXII. mors beata. *Ex vitâ.*

Piv

5. Octob. VITÆ SANCTORUM. 625
*Prudenter sagittari, & impugnari sa-
lubriter postulat sanctus, cum dicit in ora-
tione, Confige timore tuo carnes meas.
Optima timor iste sagitta, qui conficit
& interficit carnis desideria, ut spiritus
salvus sit. S. Bernard. serm. 29. in Cant.*

S. MEINULPHUS C. 5. Octobris.

VIX MEINULPHUS illa Christi
verba audierat: *Vulpes foveas ha-
bent, & volucres cali nidos, Filius autem
hominis non habet ubi caput reclinat,* cum
apud se constituit non solum Christo lo-
cum in animo suo facere (ubi enim ille
libentius nidularetur?) sed & templum
ponere. Circumspicienti arcam, delapsa
cælo in sylvas lux & cervas inter crucem
cornu præferens cervus signavit. Eo igitur
in loco Deo & virginibus sacris do-
micilium, sibi tumulumstruxit: cui cum
mortuus inferendus esset, ecce magnâ
Virgine volente, tam diu vitæ restitutus
est, dum res templi & coenobii compo-
neret. Multò post apertus suâ sponte tu-
mulus cymbalum ostendit, quo divus in
sacris Minister uti solitus erat. Hoc dein-
ceps, quoties virgo ex asceterio mori-
tura erat, sonitu suo mortis insidias de-
textit. Ipse Divus bis visus in somnis,
bis è vitiorum veterno excitare clientem,
qui à cubiculis illi fuerat, laboravit.
Sed ille in utramque aurem dormivit.

R r

Ergo